Quelle: https://manuscripta.at/?ID=1002
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



97 89

Et illi cœperunt contristari et dicere singillatim: Nu-
quid ego. Qui autem respondens ait illis: Unus ex duodecim qui
intingit mecum in catino. Et filius quidem hominis
vadit sicut scriptum est de illo: ve autem homini illi per
quem filius hominis tradetur. Bonum erat ei si
natus non esset homo ille. Et manducantibus illis ac-
cepit jesus panem benedicens fregit et dedit eis dicens
Sumite hoc est corpus meum. Et accepto calice: gratias
agens dedit eis. Et biberunt ex illo omnes. Et ait
illis: Hic est sanguis meus novi testamenti qui pro
multis effundetur. Amen dico vobis quia iam non
bibam de genimine vitis usque in diem illum cum illud bibam
novum in regno dei. Et ymno dicto exierunt in mon-
tem oliveti. Et ait eis jesus: Omnes vos scandali-
zabimini in nocte ista quia scriptum est: Percutiam pasto-
rem et dispergentur oves gregis. Sed postea quam resur-
rexero precedam vos in galileam. Petrus autem ait ei:
Et si omnes scandalizati fuerint: sed non ego. Et ait
illi jesus: Amen dico tibi quia tu in nocte hac priusquam bis
gallus vocem dederit ter me es negaturus. At ille am-
plius loquebatur: si oportuerit me simul cum te
mori: non te negabo. Similiter autem et omnes dicebat.
Et veniunt in predium cui nomen gethsemani et ait
discipulis suis: Sedete hic donec orem. Et assumpsit
petrum et iacobum et iohannem secum et cepit pa-
vere et tedere. Et ait illis: Tristis est anima mea: usque
ad mortem. Sustinete hic vigilate. Et cum processisset
paululum: procidit super faciem: et orabat ut si fieri pos-
set transiret ab eo hora. Et dixit: Abba pater omnia tibi
possibilia sunt: transfer calicem hunc a me. Sed non